

1
1
16
1
2
3.
4.
5.
16
1.
2.
3.
16
1. G
2.
3.
4.



24229.

2
19
/ 1660 7

Q. B. V.

SUCCESSIONEM LUBECENSIVM

Sive

JURIS LUBECENSIS

CUM CIVILI ET CANONICO

COLLATIONEM

CIRCA SUCCESSIONIS TAM EX TESTAMENTO, QUAM
ab intestato materiam

JUVANTE DEO

PRÆSIDE

VIRO

MAGNIFICO, NOBILISSIMO, AMPLISSIMO AC CONSULTISSIMO

DN. WILHELMO LUDWELLO

JCTO, ANTECESSORE IN FLORENTISSIMA ALTDORPHINA PRIMARIO,

FACULTATIS SUE HODIE

DECANO

SERENISSIMI PRINCIPIS PALATINI

Et

REIP. NORICÆ CONSILIARIO GRAVISSIMO

DN. PATRONO AC PRÆCEPTORE SVO PARENTIS

instar etatem colendo

Publicè

disputandam proponit

ANTONIUS Scheffel / Wismar.

Ad diem 18. Augusti.

ALTDORFFI,

Literis GEORGI HAGEN, Universitatis Typographi.

M. DC. LX.



V O B I S .
VIRI. NOBILISSIMI. AMPLISSIMI. CONSULTISSIMI.
PRUDENTISSIMI.
INCLUTÆ. WISMARIENSIS. REIPUBLICÆ.
CONSCRIPTI. PATRES.
D O M I N I .
CONSULES. SYNDICE. SENATORES.
OPTIMI. MERITISSIMI.
EXIGUUM. EX. PATRIO. JURE. DISCURSUM.
ET. VESTRA. IN: PATRIAM. MERITA.
ET. MEA. ERGA. VOS. OBSERVANTIA.
CONSECRARI. JUBENT.
EXPORRECTA. QUÆSO. FRONTE. OCULIS. SERENIS.
QUAM. ANIMUS. LAUDI. VESTRÆ. PATRIÆQUE BONO
STUDENS. OFFERT.
VILEM. POPYRUM. EXILE. MUNUS.
ACCIPITE.
SIC. VOS.
PATRIÆ. COLUMNAS.
VENERABOR. GRATUS. ET. VESTRA. PRO. SA-
LUTE. QUÆ. PATRIÆ. EST. SUPPLEX. FATIGA-
BO. DEUM.

A U T O R .



I. N. D. N. I. C.

THESIS I.



Ine Legibus nullam Rempubli-
cam, nullam ne Latronum quidem societa-
tem consistere posse certum est: non omnes
tamen Leges omnibus Rebuspublicis, nec
idem jus omni civitati convenire inculcat
Aristoteles 4. Polit. 1. dicitur ratio, probant
omnes Prudentes. Diversis enim diversorum hominum in-
geniis, moribus, facultatibus, vitæ genere, imo ipsorum lo-
corum qualitate uti Civitates earumque formæ atque Acci-
dentia dissident, ita jura quoque ipsa distinguenda, atque ex
vera Status ratione, quæ publica Salus est, diversimode usi-
bus civitatis applicanda sunt: neque enim Respubl. Legi-
bus, sed Leges Reip. accommodandæ sunt *docente eodem*
Philosopho 3. Polit. c. 7.

II. Prudentem hinc oportet Nomothetam his probè
perpensis omnibus à Jure naturali & Gentium non in to-
tum recedentem, nec per omnia ei servientem, addendo
detrahendoque juri communi proprium civitati suæ jus
constituere, congruas civibus suis Leges præscribere *l. 6. pr.*
ff. d. 1. §. 1. Hinc varia jura civilia, provincialia, municipalia;
varia hinc atque pro diversis civibus & Rebusp. differentia
statuta.

III. Celebratur præ aliis statutarium jus, quod nobile



Baltici Maris Emporium, liberaque SS. Imperii Civitas Lubeca quatuor hinc ante secula *vid. præfat. ad jus Lubec. in med.* moribus atque Legibus proprium sibi facere cœpit, quodque jam seculo à C. N. XIII. inter præcipua urbium statuta eminuit, ita, ut à Lubecensibus non minus, atq; olim ab Athenis Atticis Romani, vicinæ urbes Leges petierint. *Clar. Dn. Conring. d. orig. jur. Germ. c. 28.*

IV. Hujus originem seu fontem refert *præfatio ejusd. post med.* jus civile, jus Saxonicum, & diuturnum usum, sive inveteratos mores. A dictis tamen juribus statutum hoc nonnunquam valde exorbitare quisque animadvertet, præprimis qui dotium atque successionum materiam paulo penitius intuebitur: adeo, ut summi rigoris accusatores atq; calumniantes magno subinde numero invenerit. *Vid. Magnific. Dn. Mevium Patronum meum devotâ veneratione colendum quæst. prælim. ad jus Lubec. 1. n. 49. & 56.* quos tamen facile eliminabit quisquis scopum & finem juris istius Conditorum rite perpenderit.

V. Scilicet commerciorum vigore Lubecensibus nil prius erat atque antiquius: isthæc autem deficiente fide (quam vinculum atque sustentationem Commerciorum dixeris) florere non posse cum putarent, hac obtentâ quid uni vel alteri privatorum damni forte inferretur, intuitu publicæ salutis parvi fecerunt: hinc posthabitis liberorum foeminarumque commodis, statuta, quæ fidem servarent, commercia promoverent, condiderunt. *Conf. d. præfat. ad jus Lubec.*

VI. Quod si æquitatis argumentum est, uti est, à pluribus recipi atque approbari, certe causam quoque statuti nostri ager ejusdē à pluribus facta receptio. Ita testis est *Magnific. Dn. Mev. quæst. prælim. 2. ad jus Lub. n. 4.* totius Megapoleos & Pomeraniæ occidentalis, fere & orientalis civitates, multas
Holsa-

Holsatiæ & Livoniæ, nonnullas quoque Borussiae urbes jus
Lubecensium recepisse atque sancte adhuc dum observare:
alias inde statuta sibi vel mutatis saltem vocabulis condi-
disse. *dict. quest. præl. n. 3. & quest. præl. 1. n. fin.*

VII. Censui ego non inutiliter, sed operæ me factu-
rum pretium, si hujus patrii mei juris, non totius (sic enim
Disputationis terminos excederem) sed in materia utili atq;
quotidiana *monente Cto in l. 25. pr. d. liber. leg. & Imp. Leone
Nov. 46. pr.* eâque differentiarum fertilissima, exorbitantias à
jure communi, eâ, qua per ingenium licet, tenuitate propo-
nerem. Cedant, JUVANTE DEO omnia feliciter!

VIII. Duplici in universum de civili jure modo de-
fertur hereditas; altero quidem ex Legis, altero ex hominis
dispositione *l. 1. & seqq. ff. de hered. petit.* Hinc omnis successio
vel ex Testamento vel ab Intestato. §. *fin. Inst. per quas person.*
cuiq; acq. contra Testamentum nulla est. Forster. lib. 1. d.
success. cap. 8.

IX. Pactis ex Romano Jure hereditas neque dari neq;
adimi potest. *l. 5. C. d. pact. l. fin. ff. d. suis & leg.* cujus rationes
Vid. ap. *Bach. ad Treutl. V. 1. D. 6. Th. 8. A. & F.* duobus exceptis
casibus, Militum scilicet paciscentium, *l. 19. C. d. pact.* & tertii,
de cujus hereditate pacta fiunt, ad mortem usque consenti-
entis *l. fin. C. d. t.* Hæcque adeo vera sunt, ut ne accedente ju-
ramento ejusmodi pacta sustineantur, *Immortalis Dn. Contr.*
Rittershus. diff. jur. civ. & can. l. 3. c. 2. Gædd. ad l. 3. d. V. S. n. 38.
Quamvis Jure Canonico pactum de non succedendo jura-
mento firmatum valeat. *cap. quamvis 2. d. pact. in oro.*

X. Istis autem uti Mores & Statuta Germaniæ variè
derogarunt, id quod exemplo unionis prolium, pactorumq;
inter conjuges passim de mutua successione receptorum,
juratarum item Renunciationum clarum est. *Gail. 2. Obs. 125.*
& 126. Dn. Rittersh. Nov. p. 7. c. 9. n. 3. Ita quoque ab iisdem re-



cessit Lubecense jus constituens, licere Parentibus, assignata liberis certa dote vel bonorum portione, e sua bonis suis ita segregare, ut, si in eam cum Tutoribus vel Consanguineis suis consenserint, ab ulteriori successione excludantur. *Art. 31. 33. 34. Tit. 2. lib. 2.*

XI. Adversatur hæc res è diametro *legi 3. C. d. Collat. l. fin. ff. d. suis & legit.* sua tamen non destituitur ratione. In-fervit enim utilitati liberorum, ut sua habeant, securitati pa-rentum, ut à prolis cupiditatibus immunes sint, concordia utrorumque, ne molestas successionum lites incidant, solatio conjugis superstitis, ne patrimonii exactionibus subjicia-tur, libertati secundarum nuptiarum, tranquillitati vidui-tatis, finiendæ matri rixarum communioni, vitandis divi-sionum difficultatibus. *Vid. Magn. Dr. Mey. ad d. A. 33. n. 9.* Cæ-terum de hac separatione, variisque ejus speciebus infra pluribus.

XII. Testamentaria successio primum hic sibi merito locum vindicat, cum quamdiu illa speratur, legitima cesset *l. 39. ff. de acq. hered.* nec hæres legitimus admittatur, quamdiu ullo modo Testamentum valere potest *l. 89. ff. d. R. l. hominis* enim provisio legis cessare facit provisionem. *l. pen. C. de pact. convent.*

XIII. Definitur Testamentum in *l. 1. ff. qui Test. fac. poss.* voluntatis nostræ justa sententia, de eo, quod quis post mor-tem suam fieri velit Dividitur in solenne & minus solenne: utrumque in scriptum & Nuncupativum. *§. 3. & fin. Inst. d. Test. ordin. l. 21. C. d. Test.* Solenne est, quod observatis omni-bus juris civilis solennitatibus confectum est. Minus solen-ne sive privilegiatum, quod absque solennitatibus civilibus vel omnibus, vel quibusdam singulari jure perficitur, species agnoscit: Militare Testamentum *t. 1. Inst. ff. C. d. milit. Test.* Parentum inter liberos, *Nov. 107. Rusticorum l. fin. C. d. Test.*
ad

ad pias causas, *cap. 11. extr. d. Testam. tempore testis l. 8. C. d. Testam. Imo ex mente Dd. in qualibet necessitate & periculo confectum: non Codicillos, nisi in latissima significatione arg. l. 1. §. 2. ff. d. Tab. exhib. Bachov. ad Tr. V. 2. D. 10. Th. 1. F.*

XIV. Ad omne vero Testamentum, ut valeat, duo requirit *l. 4. ff. qui Test. fac.* scilicet, ut qui fecit, Testamenti factionem habuerit, & si habuerit, ut secundum regulas juris civilis testatus sit. Testamenti factionem habent omnes, qui non prohibentur *Vid. Sichard. ad Rubr. C. qui Test. fac. n. 2.* Prohibet autem jus civile alios ob personæ conditionem, veluti Servos, filiosfam, &c. *l. 19. ff. d. t. & filiosfam.* quidem adeò, ut ne de adventitiis quidem, quæ pleno jure possidēt, testari possint. *l. pen. C. qui Test. fac. Bachov. ad Tr. V. 2. D. 10. Th. 2. C. Dn. Ungep. Ex Inst. 8. quest. 6.* alios ob defectum animi, ut Impuberes, furiosos, prodigos *§. 1. & 2. Inst. quibus non est perm. fac. Test.* alios ab corporis vitia, ut surdos, mutos, &c. *l. 6. ff. d. 1. Add. Nobilis. Dn. Presid. Exerc. Inst. 7. Th. 4. & 5.*

XV. In his nihil mutasse videntur Lubecenses, nisi quod contra civilis juris dispositionem Mulieres à Testamenti factione excludant *Art. 10. & 14. T. 1. L. 2.* non alia de causa, quam ob sexus fragilitatem, consilii & judicii multis captionibus expositi infirmitatem: quamobrem, reductâ antiquata dudum Romanorum lege, perpetuæ quoque Tutelæ eas subjecerunt, nec quicquam sine Curatore agere sinunt. *Art. 1. & 4. T. 7. Art. 1. T. 10. L. 1.* Duobus tamen casibus foeminam testari permittit *d. Art. 14.* altero de bonis à Marito præmortuo cum concessa de iis libere testandi facultate ipsi relictis; altero si Mercatrix sit. *Vid. Art. 21. T. 6. L. 3.* hæc vero, licet alias favore Mercaturæ subtilitatibus hujus juris soluta sine Curatore contrahere & obligari possit, *A. 1. T. 10. L. 1. A. 7. T. 5. L. 1.* testari tamen sine Curatoris vel proximorum heredum consensu, & nisi de bonis acquisitis non potest *d. A. 14.*

XVI. Ubi

XVI. Ubi illud præprimis exorbitans à jure civili est, quod penitus ex consensu Mariti, Curatoris & Consanguineorum vis muliebris Testamenti dependeat, contra *l. 32. pr. ff. d. hered. instit.* ubi Testamenti jura per se firma esse, nec ab alieno pendere arbitrio debere dicitur: Unde nonnullis ejusmodi statuta plane non valere visa sunt. *allegat. à Gail. 2. obs. 117. n. 1.* Verum ista urgentes ob causas statutis mutari posse nullum est dubium, *Gail. d. l. cum,* quominus jure Gentium ex alterius arbitrio ultimæ voluntates pendeant, nihil impediatur. *Excell. Dn. Pras. d. ultim. vol. part. 1. c. 1. Th. 3. in fin.* & Jure Canon. in alterius voluntatem conferri Testamenta queant *cap. 13. extr. d. Test.* Facit, quod jus Testamentorum statutis planè mutari & penitus impediri possit *docente prælaud. Dn. Pras. d. Tract. p. 1. c. 1. pag. 15. Dn. Rittersh. differ. jur. l. 3. c. 20* Dictis tamen contrarios mores multis in locis derogasse testis est *Magnif. Dn. Mev. ad d. A. 14. n. fin.* ita, ut ibidem foeminis non minus ac viris libera sit testandi licentia.

XVII. Cæterum præstat omnino, animo simul & corpore valentes homines suprema sua condere elogia exemplo Abrahami *Gen. 25. v. 6.* quam ad extremum vitæ halitum ea differre: tunc enim sæpe usu venire solet, quod est *in l. 8. C. qui Test. fac.* humanam fragilitatem mortis cogitatione turbatam minus memoria posse res plures consequi: imò tunc mentem à mundanis separatam DEO cæloque deditam esse oportet. Hinc jus Lubecense, licet arbitrio testantis relinquatur, sanus an æger testari velit *arg. A. 4. T. 1. L. 2.* (secus ac de inter vivos alienaturis constituit *Art. 3. T. 10. L. 1.*) tamen mente sanos esse vult, qui corpore sunt ægri, & facere Testamenta, antequam omnes plane deficient vires & sensus. Atque hoc est, quod dicitur *A. 1. T. 1. L. 2. Welche ein Mann ein Testament machen will / der soll seyn bey voller Vernunfft und mächtig seiner Sinnen.*

XVIII. Qui-

XVIII. Quicumque jam Testamenti factionem habet, de bonis, quæ possidet, omnibus, & de quibus vult, testari de jure civili non prohibetur. *l. 1. C. d. SS. Eccles. t. 1. ff. qui Test. fac.* Secus est de Lubecensi jure, quod introducta juri civili incognita distinctione bonorum hereditariorum & acquiretorum (quorum definitio est *in A. fin. T. 10. L. 1.*) de his quidem, non secus ac civile jus *l. 21. C. mandati* liberum cuique disponendi reliquit arbitrium; illa vero sine consensu heredum nullo modo alienari, nedum Testamento in alium transferri permittit *d. A. fin. T. 10. L. 1. A. 2. & 5. T. 9. L. 1. A. 2. T. 1. L. 2.*

XIX. Ratio statuti esse videtur, ut in familiis bona maneat illarumque dignitas & splendor conservetur, *arg. l. 1. §. 13. ff. d. inspici. ventre* vel potius ex affectione & utilitate heredum hanc rem profectam esse censebimus, cum inhumanum videatur, res Majorum labore quæsitæ in extraneos conferri neglectis consanguineis, quos Prudentum omnium Responsa & ipsa Lex naturæ successores facit *l. 3. C. quorum bonorum* neque enim, *ut est in l. 22. C. d. admin. Tut.* alienanda est temere domus, in qua defecit Pater, Minor crevit, in qua Majorum Imagines aut non videre fixas, aut revulsas videre satis est lugubre. *Vid. Magn. Dn. Mev. ad d. A. fin. T. 10. L. 1. n. 62. & seqq.* qui tamen multis in locis, Rostochii, Stralsundii, Wismaria, Testamenta de bonis patrimonialibus moribus valere docet.

XX. Hæc de Personis testari valentibus, rebusque de quibus testari licet: sequitur modus testandi. Ille vel concernit heredis institutionem, vel Solennitates. Heredis institutio, quæ caput & fundamentum totius Testamenti dicitur §. 24. *Inst. d. Legat.* in omni Testamento, non tantum de civili, sed & Lubecensi jure requiritur *A. 12. T. 1. l. 2.* secus ac Hamburgensium statutis cautum est *part. 3. A. 22. T. 1. & Legibus* atque moribus Suecorum obtinere docet *Loccen. Disp.*

B

ad

ad LL. Suec. 8. th. 3. Vid. Gudel. d. jur. nov. l. 2. c. 5. qui de plurib. aliis idem testatur. Describitur heredis à Testatore facta designatio. *Nob. Dn. Pras. d. Ult. Vol part. 2. c. 2. pr.* estque vel necessaria vel voluntaria.

XXI. Necessaria illa dicitur, quia de jure novissimo (de novo & antiquo quid obtinuerit exhibet *pr. §. 1. 2. 3. 4. 5. Inst. d. Exher. lib.*) Parentes & Liberi non aliter recte testantur, quam si illi hos, & hi vicissim illos vel heredes instituant, vel adjecta ingratitude causa ab herede probanda nominatim exheredent. *Nov. 115. c. 3. §. 4.* quod nisi factum fuerit, Testamentum ipso jure nullum est *d. Nov. c. 3. §. fin.* Causæ autem, ob quas exhereditatio procedit, *in d. cap. 3.* pro liberis 14. pro parentibus 7. enumerantur. *cap. 4.* præter quas nullas neque pares, neque majores admittendas voluit Justinianus *d. cap. 3. pr. Bronchorst. cent. 3. evart. 26.*

XXII. Neque vero in omnibus præcise bonis suis parentes liberos, vel liberi parentes instituere necesse habent: Testamēta enim conditoris lex & natura arbitrium bonorū suorum indulget, ut non omnia liberis vel parentibus largiri cogantur, sed & alios de suis juvare possint. Hinc securi sunt Testatores, si parentibus vel liberis legitimam, vel minus ea, (quo casu subsistente Testamento actio ad supplementum competit *§. 3. Inst. d. inoff. Testam.*) modo institutionis titulo *Nov. 115. c. 3. pr. Sichard. ad Auth. Novis C. d. inoffic. Test. n. 7. 8. 9.* reliquerint *l. 30. pr. l. 31. C. d. inoffic. Test. l. 15. ff. eod.* Quantitas autem legitimæ olim erat quadrans *§. fin. Inst. d. inoffic. Test.* unde & quartæ nomen adhuc retinet: sed ex Constitutione Justiniani, si quatuor vel pauciores liberi sint, triens; si plures, semissis est *Nov. 18. c. 1.* quod augmentum in Ascendentium quoque, non collateralium, legitima recipiendum. *Excell. Dn. Pras. Exerc. Just. 8. th. 8. G. Sichard. ad d. Auth. n. 12.*

XXIII. His, quæ dicta sunt, vigorem suum relinquit
Lube-

Lubecense jus : eo tamen casu , ubi à vivis parentibus liberi
certa portione assignata separati sunt , instituendi & legiti-
mam relinquendi necessitatem remittit. *arg. Art. 8. T. 1. L. 2.*
nec deest ratio : cum enim liberi separati ex statuti hujus
principiis pro legitime exheredatis , & eo loco , quo olim ex
civili jure emancipati §. 3. *Inst. d. Exher. liber.* censeantur , imo
assignata pars loco legitimæ , & perinde sit , ac si Pater vivens
legitima data filium à successione exclusisset *arg. A. fin. T. 2.*
L. 2. & A. 10. d. L. quisque videt , ad ulteriora parentem non
astringi. *Vid. Magn. Dn. Mev. ad A. 8. T. 1. l. 2.* Sicuti vero Pater
liberos separatos plane præterire potest , ita liberum ipsi est ,
iisdem in Testamento pro lubitu multum vel parum relin-
quere ultra id , quo separati sunt. *d. A. 8. T. 1. l. 2.* nec præjudi-
catur hoc ipso liberis non separatis sive consortibus , utpote
qui , accepta legitima , etiam quocunque extraneo herede in-
stituto conqueri nequeunt. *per th. preced.*

XXIV. Illa vero , quæ dicta sunt , limitantur proce-
dere primò , si alii liberi non segregati sive consortes extent.
Quod si enim præter separatos nulli adsint liberi , separati
portione accepta contenti esse non coguntur , sed vel quere-
la evertere Testamentum , vel supplementum legitimæ pe-
tere possunt. *arg. à contrario (quod in statutis , si juri communi
consonet , valere docet Everhard. loc. à contr. n. 22. & seqq.) ex d.*
A. 8. T. 1. L. 2. Vid. infr. th. 53. Secundo id limitat Magn. Dn. Mev.
ad d. A. 8. n. 17. in eo , quod & consortibus aliis existentibus se-
parati non aliter præteriri possint , quam si assignatio der
Ruspruch tantum iis tribuerit , quantum par est : quod ex
tempore separationis , non mortis judicandum est. *Add. eun-*
dem ad A. 33. T. 1. L. 2. n. 51. & seqq.

XXV. Hæc de necessaria institutione , sive de heredi-
bus necessario instituendis . Præter hos reliquos cognatos
omnes tutò præterire , & quoscunque alios pro lubitu Testa-

toris, instituere jus civile permittit *l. 1. C. d. SS. Eccles.* modo non instituantur incapaces, quibuscum non est Testamenti factio §. 4. *Inst. d. hered. qual.* (quorum catalogum exhibet *Nob. Dn. Pras. Exerc. Inst. 8. th. 1.*) isti enim heredes instituti pro non scriptis habentur *l. 1. & t. t. ff. d. his quæ pro non script.* atq; ad coheredes vel proximos ab intestato venientes, non ad fiscum, hereditas pertinet. *l. 3. d. t. Cujac. 7. Obs. 31.* Vel nisi turpi instituta persona fratres prætereantur. *Vid. infr. th. 36.*

XXVI. Hinc iterum divortium faciens Lubecense jus non permittit, in dispositione de omnibus bonis silentio præteriri proximos cognatos, sed ut constet, eorum memoriam fuisse, certi quiddam iis relinqui constituit *A. 2. T. 6. A. 2. T. 9. L. 1. A. 12. T. 1. L. 2.* familiarum enim conservationi cum studeat, multum cognationi juris in hereditatibus tribuit, atque, quod jure civili solis competeat liberis, cognatis assignat, impium censens atque religiosum, præteriri omnino proprium sanguinem, cui ex debito quasi addictam hereditatem putat. Singulis autem proximorum ad minimum in *d. A. 2. T. 6. & A. 2. T. 9. L. 1.* octo solidi & quatuor denarii, 8. Schilling 4 Pfening relinqui jussit: quæ summula tamen ad eos, quibus legitima de civili jure debetur, nequaquam pertinet, sed in illis communis juris dispositio statuto non correctâ obtinebit. *arg. l. 27. C. d. Testam. Magn. Dn. Mer. ad A. 12. T. 1. L. 2.*

XXVII. Uxorem quod attinet, licet illi vigore statuti nostri semissis ex Mariti bonis ab intestato debeatur. *A. 3. 5. 12. 28. T. 2 L. 2.* eaque statutaria portio ex communi Dd. sententia à Marito per ultimam voluntatem neque minui, neq; tolli queat *Nov. 22. c. 33. c. 16. in mea. extr. d. Testam. Thesaur. decis. 34 n. 1. & seqq. Gail 2. Obs. 86. n. fin. & 2. Obs. 87. n. 1. Wes. w. ff. Unde Vir & Uxor. n. 2 in f. ibiq. Excell. Dn. Pras. De jure tamen Lubecensi aliud dicendum videtur, scilicet, liberum esse*

esse Marito, Testamento dictam femissem minuendi, atque Uxori ex bonis suis, quantum libet, was er ihr gdnnet relin-
quendi *per expr. text. A. 10. in fin. T. 1. L. 2. arg. A. 8. eod. Vid. Magn. Dn. Mev. ad d. A. 8. ubi hoc prolixè contra Cothmann. V. 2. Cons. 74. adductis præjudiciis & Actorum responsis firmat. Imo Uxorem in bonis, quæ in communione fuerunt omnibus, non præcise data dimidia, à liberis plane separandi. A. 3. & 6. T. 1. L. 2. Dn. Mev. ad d. A. 5. n. 30 & seqq.*

XXVIII. Illud hic de jure Lubecensi disquiritur, si Maritus Uxorem liberosque suos Testamento heredes nul-
lis expressis partibus instituerit, quantum cuique tribuen-
dum? De Jure civili æquas cuique deberi partes dicendum
videtur *per §. 6. Inst. d. hered. instit. l. 9. §. 12. ff. eod. Verum distin-
guit nostrum jus in A. 8. T. 1. L. 2. utrum aliqua præcipere Uxo-
rem Maritus jufferit, vel non. Hoc casu dimidiam bonorum
omnium uxori; dimidiam liberis assignat: illo singulis vi-
rilem partem tribuit. Diversitatis ratio in eo est, quod, ubi
nil expressit, in dubio non præsumatur minus dare voluisse
Maritus, quam ab intestato Uxori debetur A. 3. T. 2. L. 2. cum
Legibus atque Statuto se conformare voluisse censendus sit.
*Vid. Excell. Dn. Pras. d. ult. volunt part. 1. c. 4. reg. 3. ubi vero
quid prælegavit, constare videtur, minus relinquere voluif-
se. Dn. Mev. ad d. A. n. 38.**

XXIX. Superfunt ad testandi modum spectantes So-
lennitates: multiplices enim captiones & falsitates, quibus
obnoxia Testamenta censebant Romani, cum à sua Rep.
exulare vellent. *l. 29. pr. C. d. Testam. multis vigiliis excogita-
runt solennem Testamenti formam. l. 35. pr. C. d. inoffic. Test.*
quæ in sequentibus consistit, ut Testamentum fiat uno con-
textu, uno actu continuo *l. 21. §. f. ff. qui Test. fac. adhibitis Te-
stibus idoneis Vid. Nob. Dn. Pras. Exerc. 7. th. 8. numero se-
ptem §. 3. Inst. d. Testam. (cujus numeri ratio non obscure constat*



ex §. 1. Inst. d. 1.) specialiter ad id rogatis *l. 21. C. d. Testam.* animo & corpore presentibus *d. §. 3.* qui in scripto Testamento subscribant, & sigilla apponant. *d. §. 3.*

XXX. Hunc testandi modum licet non plane prohibuerit vel abrogarit jus Lubecense *per ea quae habet Magn. Dn. Mev. quest. prelim. 9. n. 44.* aliam tamen testandi formam commendat atque praescribit *A. 2. T. 1. L. 2.* cujus requisita haec sunt: ut coram duobus Senatoribus specialiter ad id totius Senatus vel Consulibus regentis decreto deputatis *A. 3. T. 1. L. 1.* vel, si istorum copia tam cito haberi non possit, & periculum sit in mora, coram duobus civibus possessiones in urbe habentibus modo dispositio non excedat 10. argenti marcas, seu 80. Imperiales *Besold. Thesaur. pract. verbo Marcæ* Testator voluntatem suam declaret *d. A. 2. T. 1. L. 2.* vel scripto consignatam iisdem tradat. *A. 4. T. 1. L. 2.*

XXXI. Est haec species quaedam Testamenti, quod apud acta conficitur *Wes. π. ff. qui Test. fac. n. 10.* quodque omnium Testamentorum solennitatem superare dicitur *in l. 19. C. d. Testam.* Acta enim sunt, ubi quid auctoritate Judicis fit, etiam extra iudicii locum *arg. l. 5. ff. d. man. vindict.* & Senatores isti ob factam commissionem totum representare Senatuum dicendi sunt. Simili modo coram duobus personis publicis ex Legibus Suecicis Testamenta fieri testatur *Loccen. ad jus Suec. D. 8. th. 6.*

XXXII. Speciale vero hoc est, quod subjicitur in *d. A. 2. T. 1. L. 2.* altero Senatorum, qui Testamento interfuerunt, mortuo, superstite soli de Testamento testanti integram fidem haberi: idque in *A. 3. T. 1. L. 1.* de omnibus negotiis, quibus interfuerunt, asseritur. Singulare inquam hoc est, atque a Jure tam civili, quam Canonico alienum, quae unius testimonium minime admittunt, *l. 9. §. 1. C. d. Testibus l. 20. ff. d. question. cap. 23. extr. d. Testib.* licet in praesidiali vel alia
summa

summa dignitate constitutus sit, *d. l. 9. §. 1. & c. 47. extr. d. Testib. & attest.* Sed vero id ideo receptum videtur, quod ob dignitatem, electam fidem, & præstitum Reip. juramentum de ejusmodi personis mali quicquam præsumi nefas est. Atque, ut eo minus de fide deponentis dubitetur, juramentum insuper requirit. *d. A. 2 7. 1. L. 2.*

XXXIII. Illo jam, quo diximus, modo confecta Testamenta eousq; subsistunt, donec infirmantur *pr. Inst. quib. mod. Test. inf.* idque vel ipso jure, vel officio Judicis. Ipso jure sive juris potestate infirmari Testamenta dicuntur, cum vel irrita fiunt desertione §. 2. *Inst. d. t. l. 1. in fin. ff. d. injust. rupt.* vel capitis diminutione Testatoris *l. 6. §. 5. 6. 7. ff. d. t. etiam minima arg. §. fin. 1. st. d. milit. Testam.* vel cum rumpuntur posteriori Testamento rite perfecto §. 2. *Inst. quib. mod. Test. inf.* aut sui heredis agnatione §. 1. *Inst. d. Exhered.* eaque vel naturali *l. 3. §. 1. ff. d. injust. rupt.* vel civili, quæ fit per Adoptionem §. 1. *Inst. quib. mod. Test. infirm.* quamvis hodie post *N. v. 115. c. 3.* naturali non amplius rumpi, sed ab initio statim nullius momenti esse videantur. *Vid. Excell. Dn. Pras. d. ult. Vol. part. 2. cap. 4. pag. 361.*

XXXIV. Jus Lubec. circa agnationem sui heredis duos decidit casus. Priori Testamentum, quod quis, cum liberos non haberet, fecit, nec postea susceptis liberis mutavit, irritum atque invalidum *Machtloß und von Unwürden* pronunciatur, bonaque ex præscripto juris dividi jubentur. *A. S. T. I. L. 2.* ubi, mentione facta *der ehelichen Kinder* / non tantum legitimi & naturales, sive ex legitimo matrimonio suscepti, sed & legitimi tantum sive adoptivi intelligi videntur, ita, ut vigore statuti civili non minus, quam naturali heredis sui agnatione ultimæ voluntatis revocatio procedat, cum usus significationem *der ehelichen Kinder* tanquam *der ehelichen* ad adoptivos quoque produxerit teste *Magnif. Dn. Mev.*

Mev. ad d. A 5. n. 18. qui idem ad legitimatos, atque ad omnes casus, ubi contingit, aliquem existere, cui ex jure & parentum voto debetur hereditas, extendit *n. 24.*

XXXV. Quod si vero (hic posterior casus est) Testator liberos, quos habet, heredes instituerit, & Uxor, quæ eo ignorante uterum gerebat, defuncto Marito partum edat, agnascens hic heres Testamentum non rumpit, sed decrevit institutis liberis virilis pars, & agnascenti tribuitur, das Kind gehet zu gleicher Theilung mit den andern. *A. 6. r. 1. l. 2.* convenienter fere *legi 3. C. d. inoff. Test.* Differentiæ autem ac differentis decisionis dictorum casuum ratio hæc esse videtur, quod illo casu, quia Testator neque disposuit neque cogitavit de instituendo suo herede, quem se habere norat, defectus juris ac voluntatis Testamentum rumpi faciat: hoc vero casu, ubi liberi instituti sunt, nota sit voluntas, quod suis hereditatem potius, quam aliis destinaverit, adeoque præsumptio, Testatorem, si scivisset de posthumo, eum omnino institutum voluisse, Testamentum sustinet.

XXXVI. Officio Judicis infirmantur Testamenta per querelam inofficiosi *t. t. Inst. ff. C. d. inoff. Testam.* & bonorum possessionem contra tabulas *t. t. ff. C. d. bon. poss. contr. tab.* Hanc petunt principaliter liberi emancipati præteriti *§. 3. Inst. d. Exher. Schneidw. ad §. 1. Inst. d. bon. poss. n. 6.* Illam contra heredes scriptos intentant immerito exheredati vel præteriti (1.) Liberi *§. 1. C. 2. Inst. d. inoff. Test.* (2.) Parentes *d. §. 1. C. l. 1 ff. eod.* Licet enim hodie post *Nov. 115.* in linea recta Ascendentium & descendantium querela hac opus non sit, sed Testamentum, in quo Liberi vel parentes præteriti vel injuste ex heredati sunt, ipso jure nullius momenti dici possit, uti *supra th. 21.* dictum: quod si tamen dictæ personæ causæ suæ confidentes querelam eligere malint, prohibendi non sunt, neque enim per *d. Nov.* querela vel bonorum possessio

sessio contra tabulas sublata est *Nov. 120. cap. 3. Vid. Nob. Dn. Præs. ad pr. Inst. d. inoff. Test. & d. Ult. Vol. part. 2. c. 4. p. 372.*
(3.) Fratres & Sorores germani & consanguinei *d. §. 1. Inst. d. inoff. Test. non uterini l. 27. C. eod.* Sed isti non aliter, quam si turpis persona instituta sit *d. §. 1.* Cessat querela quibusdam casibus, quos *Vid. ap. Excell. Dn. Præs. Exerc. Inst. 8. th. 8.*

XXXVII. Finis atq; effectus rite confecti Testamenti est, ut voluntas defuncti exitum sortiatur *monente quoq; D. Apost. ad Galat. 3. v. 15.* atque pro lege observetur *Nov. 12. c. 2.* publice enim expedit, suprema hominum judicia exitum habere *l. 5. ff. Test. quemad. aper.* Illa vero cura atque executio heredibus ut plurimum competit, qui, cum ex defuncti dispositione commodum sentiant, onus hoc merito sustinent *arg. l. 10. ff. d. R. l. 15. §. fin. ff. d. Leg. præst.* Hinc contra eosdem triplex actio competit illis, queis aliquid ex Testamento debetur, scilicet, Rei Vindicatio ex dominio *l. 80. ff. d. Leg. 2. §. 2. Inst. eod.* Actio ex Testamento ex quasi contractu *d. §. 2. & §. 5. Inst. d. obl. ex quas. contr. & Hypothecaria ex Constit. Justin. in l. 1. C. commun. de Leg.* Potest tamen Testator curam illam atque executionem Testamenti vel uni heredum *l. 107. pr. ff. d. Legat. 1.* vel etiam alii committere *l. 7. ff. si cui plus, quam per L. falcid. l. 28. §. 1. d. Episc. & Cler. & illi dispensatores, distributores Legatorum, Executores Testamentorum appellantur. Vid. Calvin. in Lexic. verb. Executores: & qui integrum de iis tractatum scripsere Oldendorp. & Jacob. de canibus.*

XXXVIII. Jus Lubecense eos Testamentarios Testamentarien vocat, & duo præprimis de iis disponit. Primo circa personas eorum constituit, non alios ad officium hoc eligi debere, quam cives *A. pen. T. 1. L. 2.* reputans, difficilem futuram executionem iis, qui nec eodem jure utuntur, nec præsentibus sunt, nec facile auxiliarem Magistratus manum implorare queunt *Magn. Dn. Mev. d. A. n. 18.* Deinde vero cir-

C

ca



ea eorundem officium disposuit, ut Testamenta judicialiter
producant *A. 11. T. 1. L. 2.* Productione & publicatione Testa-
mentorum de jure civili omnino opus videtur *l. 1. C. Test.*
quemad. aper. ut deinceps publica & rata eorum fides sit *l. 2.*
C. d. Testam. Wes. π. ff. Test. quemadm. aper. n. 5. & ad id certas So-
lennitates requirit jus commune, quas *Vid. ap. Zoës. ad ff. d. t.*
n. 3. Loccen. ad jus Svec. D. 8. th. 22.

XXXIX. Hodie vero, cum ex consuetudine plerumq;
coram Magistratu vel Notario Testamenta fiant, ipsa con-
fectione statim publica videntur. *Nob. Dn. Hahn. Obs. ad Wes.*
d. t. Hinc quoque Lubecense Statutum, uti præter juris com-
munis præscripta simplicem testandi formam approbavit,
de qua supr. th. 30. ita quoque publicationis prolixitati modum
ponens constituit, ut Testamenta, si à Senatoribus quibus
Testator ea *secundum th. 30.* tradidit (illi enim hoc jure ap-
pellantur Testamentarii) in judicio ad relegendum produ-
cta fuerint, eo ipso pro publicatis habeantur. *d. A. 11. T. 1. L. 2.*
Tempus publicationi de jure communi præstitutum erat
triduum, vel quinque dierum à morte Testatoris *Wes. d. t.*
n. 4. Jure vero Lubecensi, uti & Saxonico *Wes. d. l.* illud in mē-
sis spatium transmutatum est *d. A. 11.* intra quod omnino
productione defungi jubentur Testamentarii, nisi feriis vel
justis impedimentis exclusi fuerint, quo tamen casu Consuli
regenti se excusare, & proxima juridica officio satisfacere
tenentur. *d. A. 11.*

XL. Testamentorum accessoria sunt Legata: quam-
vis hodie ex Constitut. *Iustin. in l. 2. C. Commun. de Legat.*
etiam extra Testamentum quavis ultima voluntate recte
relinquantur. *Fach. 13. controuv. 73.* In Testamento autem re-
licta ab ejus vi omnino dependent, ita ut Testamento cor-
ruente nec Legata subsistere queant, cum vitiato principali
accessoria quoque vitiari necesse sit *l. 178. ff. d. R. l. §. 34. Inst. de*
Legat.

Legat. neque enim pro parte testatus, pro parte intestatus quisquam decedere valet *l. 7. ff. d. R. I* Sane duobus casibus, qui Regulam in non exceptis firman, Testamento non subsistente Legata debentur: ita rescisso per contra tabulas bonorum possessionem Testamento, Prætor certis personis legata servat. *t. t. ff. d. Legat. præstand.* ita quoque ubi Testamentum ex præteritione vel injusta exheredatione parentum vel liberorum nullum dicitur *ex Nov. 115. c. 3.* Legata & cœtera capitula, annullatâ licet heredis institutione, subsistunt *d. c. 3. §. fin.* electâ vero etiam in linea recta querela corruunt *per alleg. text. Add. Nob. Dn. Præs. d. Ult. Vol. p. 2. c. 4. p. 381.*

XLI. Hic iterum à communi jure discedit Lubecensium statutum, certis adhuc aliis casibus ex Testamento, quod nullius momenti est, solvi jubens Legata in scripturam redacta *A. 4. §. 13. T. 1. L. 2.* Et primo quidem favore pietatis generaliter id disposuit de omnibus Legatis ad pias causas. *in d. A. 13.* Deinde vero Exemplum ponit in Testamento ratione voluntatis imperfecto *d. A. 4.* quale de jure civili, neq; inter Milites, nec inter liberos, neque ad pias causas quicquam valere constat. *Mynsing. cent. 5. Obs. 28.* Casus hic est: Condiderat Cajus Testamentum ad præscripta statuti, reclamantibus vero in continenti præsentibus cognatis, negotium in proximum diem differre cum postulasset, intermissâ mutatione moritur: Legata præstanda dicit *A. 4.* quod scilicet scriptis comprehensa ejusmodi Legata, nisi aliud quid obsit, rata censeri debeant. *d. A.* Scilicet imperfectum hoc Testamentum erat ob dilationem & supervenientem obitum Testatoris: cæterum, quæ dilationi causam præbuerat, contradictio cognatorum solam heredis institutionem, non legata concernere videbatur, ideoque in his quoq; mutato licet Testamento, voluntatem duraturam fuisse præsumit Statutum. *Vid. Magnif. Dn. Mev. add. A. 4. n. 20.*

XLII. Aliud adhuc privilegium piæ causæ tribuit Lubecensis Jurisprudencia, dum in executione voluntatis defuncti ante omnia, statim post æs alienum deduci vult legata ad pias causas. *A. 7. T. 1. L. 2.* contra ac communi jure statutum est, quo, si forte Legata facultates defuncti transcendant, singulorum Legata pro rata diminuuntur *l. 82. ff. ad L. falcid.* nec ullibi Legatis ad pias causas præ reliquis prærogativa quædam data reperitur, nisi quod in iis, si heres moram commiserit, falcidiæ detractionem cessare voluerit Imperator *Nov. 131. c. 12. pr. Bachov. ad Treut. V. 2. D. 14. Th. 5. F.*

XLIII. Legata sub conditione relicta, deficiente conditione, de jure civili vel ad substitutum pertinent, vel collegatario accrescunt, vel apud heredem permanent. *l. un. §. 2. & 11. C. d. Caducis toll. ibiq. Cujac. in paratit.* sublatâ antiqua lege Papia Poppæa, quâ, deficiente conditione, caducum fiebat & fisco acquirebatur legatum *Vid. Cujac. parat. C. d. t.* Jure vero Lubecensi legatum sub conditione, ut se quis proximum heredem testato probet, relictum, non impleta intra annum & diem conditione, repetitis abrogatæ legis Papiæ Poppææ vestigiis, fisco addicitur *A. 9. T. 1. L. 2.* Ubi duo adhuc singularia notare licet, primo, quod proximitati probandæ præfigatur annus & dies (qui hoc jure regularis ad præscribendum terminus est, uti patet *ex Tit. 8. L. 1.*) cum civili jure non nisi 30. annis Legati petitioni præscribatur *l. 3. C. d. prescr. 30. vel 40. ann.* Deinde, quod dicti temporis cursus continuus dicatur à morte Testatoris *d. A. 9.* qui communi jure non nisi à publicati Testamenti vel scientiæ tempore currere potest. *Vid. Magn. Dn. Mev. d. A. 9.*

XLIV. Hæc de priori Disputationis nostræ parte, successione Testamentaria, dicta sufficiant. Superessent hic plura ad Testamenta spectantia: nihil enim hic de Substitutione, Accrescendi jure, aditione, transmissione hereditatis,

tatis, Fideicommissis, Inventario, &c. Verum cum in his nihil speciale receperit Jurisprudencia Lubecensis, proposito inservientes ea prætermittimus, atque propitio DEO jus intestati accedimus.

XLV. Intestatus proprie decessisse dicitur, qui, cum testari posset, vel omnino Testamentum non fecit, aut non jure fecit, vel quod fecerat, ruptum irritumve factum est, aut, si ex eo nemo heres extiterit. *pr. Inst. d. hered. ab intest. l. 1. pr. ff. d. suis & leg.* quamvis hac appellatione quoque pupillos, furiosos, prodigos & alios, qui testandi jus non habent, recte venire *l. 1. pr. ff. d. suis & leg.* adeoque in statutis, ubi secundum communem loquendi usum verba capienda sunt. *arg. l. 18. §. 3. in f. ff. d. instr. vel instr. leg. intestatorum appellatione contineri verius videatur. Excell. Dn. Pras. Ex. Inst. 10. th. 1. A. Gædd. ad l. 64. n. 4. d. V. S.*

XLVI. Intestati hereditas sola lege defertur, vel cognationis jure, vel ratione aliqua civili. Cognationis jure pertinet ad consanguineos, qui, prout ordine graduq; proximiores vel remotiores sunt, de jure civili invicem præferuntur, vel postponuntur, vel conjunctim vocantur. Ubi primo id in genere de jure Lubecensi notandum, illud hac in materia plane aliis uti principis: neq; enim hoc, perinde ac civile jus, iis defert hereditatem, quibus ex gradus vel ordinis proximitate ante alios addicta bona sunt, sed rem omnem inter Parentes, Liberos, Fratres & Sorores ex conjunctione vel disjunctione, quæ unica hoc jure successionis norma est, æstimat: hinc, quos modo præposuit, mox postponit, quibus modo dedit, mox adimit hereditatem, prout cum defunctis vel conjuncti vel disjuncti fuerint, ut tuto hanc ponere liceat Regulam: *Inter quos communio bonorum est, illi succedunt; inter quos hac dissoluta est, illi invicem non succedunt. Magn. Dn. Mev. ad A. 2. T. 2. L. 2. n. 150.*

XLVII. Hæc ut melius intelligantur, atque ut clario-
ra sint, quæ in sequentibus deducenda veniunt, sciendum
est, duos Statuto nostro peculiare liberos sejungendi vel
separandi modos esse; alterum quidem ex provisione ho-
minis, Separationem in specie dictam die *Absonderung*; alte-
rum ex provisione Statuti, Divisionem die *Abtheilung*. Hanc
determinat *A. 2. 3. & 5. T. 2. L. 2.* eritque de ea commodior di-
cendi locus infra, ubi ad Conjugum successionem deven-
tum fuerit.

XLVIII. Separatio definitur *Magn. Dn. Mev. ad A. 33.*
T. 2. L. 2. n. 4. liberorum à parentibus per assignationem cer-
tæ portionis à communione facta exclusio. Rationem ejus
& utilitatem *supra th. 11.* vidimus. Species ejus variæ sunt.
1. Ratione causæ efficientis est vel ab utroque parentum, vel
uno superstite facta *d. A. 33.* 2. Ratione subjecti, vel omnium
liberorum vel quorundam *d. A.* 3. Ratione materiæ, vel ab
omnibus bonis, vel ab unius parentis tantum. *A. 31. T. 2. L. 2.*
4. Ratione formæ quatuor admittit species, scilicet Solen-
nem coram Senatu die sessionum factam *A. 31. 33. T. 2. L. 2.*
cujus, quibus præ cæteris gaudet in concursu Creditorum,
privilegia exhibet *d. A. 31. & A. 2. T. 1. L. 3.* Testamentariam,
de qua *A. 3. & 6. T. 1. L. 2.* Conventionalem, quæ sine solenni-
tate pactis expeditur *Vid. A. 31. T. 2. L. 2.* & eam, quæ fit tem-
pore elocationis. *A. fin. T. 2. L. 2.*

XLIX. Effectus hujus separationis, qui idem & Di-
visionis, hic est, quod vim renunciationis, abdicationis, ex-
heredationis, emancipationis habeat, dematque jus succe-
dendi, uti in sequentibus singulis exemplis demonstrabitur:
hinc separati dissortes, quasi à sorte seu heredio parentum
exclusi, sicut qui separati non sunt, consortes appellantur.
Liberos vero ita separatos cum pro parente orbatis habeat
statutum, parentes liberis separandis minoribus Tutores
petere

petere jubet, quorum autoritate separatio procedat, quorumque prudentia assignatae bonorum portiones administrantur. *A. 33. 34. T. 2. L. 2.*

L. Portionis illius quantitatem arbitrio & consensui parentum & liberorum eorumque Tutorum relinquere videntur *dd. A. 33. & 34.* In eo vero ne facile decipiantur liberi, inventarium à parentibus exigere possunt, visuri, an satisfactum sibi sit. *Dn. Mev. ad d. A. 33. n. 49.* Quod si semel certae portioni nulla interposita protestatione acquieverint, separationis semel approbatæ impugnatio non valebit. *A. fin. T. 2. L. 2.* nisi forte ab læsione enormissimam, qualem incurere liberos putat *Magn. Dn. Mev. d. A. n. 54.* si ultra dimidium legitimæ defraudati fuerint: in quo dijudicando tempus assignationis spectandum erit, postea enim nec auctæ parentum facultates liberis proderunt, nec deminutæ nocent. *arg. A. 16. T. 2. L. 2.*

LI. His præmissis ordine successionum Ordines persequemur, exorbitantias, ut cœpimus, Statuti nostri ulterius illustraturi. Ordinum de jure novissimo tres sunt. Descendentium, Ascendentium & Collateralium *Nov. 118. pref. in fin. Dn. Rittersh. Nov. p. 7. c. 1. n. 10.* Descendentium primus ordo est *Nov. 118. pref.* utpote, quibus communi parentum voto *l. 7. §. f. ff. unde lib. &* naturali ratione, quasi tacita quadam lege *l. 7. pr. ff. d. bon. damn.* debetur hereditas, unde & vivo patre quodammodo Domini existimantur, eoq; mortuo continuare potius, quam de novo adipisci dominium videntur *l. 11. ff. d. lib. & posth.* proinde liberi ceteros cognatos omnes excludunt, atque sine suitatis sexusq; differentia primi gradus in capita, posteriores in stirpes ad hereditatem vocantur. *Nov. 118. c. 1.* eo tamen observato, quod diversorum matrimoniorum liberi communi parenti æqualiter, diversis separatim succedant. *Nov. 22. c. 29.*

LII. Olim

LII. Olim pessimæ de jure civili conditionis erant emancipati, utpote queis nihil in paterna hereditate juris competebat §. 9. *Inst. d. her. ab intest.* cum emancipatio & sui heredis & agnationis jus adimeret *l. 11. ff. d. suis & leg.* uti vero Prætor naturali motus æquitate iis bonorum possessionem unde liberi dabat *d. §. 9.* ita æquior Imperator noster eos una cum suis ad hereditatem vocat, suisque ulterioris gradus præfert. *d. Nov. 118. c. 1.*

LIII. Hic antiquata in usum revocant Lubecenses: quia enim emancipatorum jure segregatos de jure Lubecensi censi *supra th. 23. & 49.* monuimus, consequens est, segregatis hoc jure liberis nullum ad parentum hereditatem relictum esse *jus. arg. A. 5. T. 2. L. 2. A. 16. 28. & fin. d. T. nisi,* cum nulli consortes sive nondum separati adsunt *d. Art. 5.* tunc enim, si non succedunt ut liberi, capiunt tamen hereditatem ut proximi omnium cognati. *Magn. Dn. Mev. ad A. 2. T. 2. L. 2. n. 137.* idque suadet tum cessans ratio introductæ separationis, quæ ideo præcipue inventa est, ne ex bonorum confusione in lites incidant diversorum matrimoniorum liberi, tum intentio parentum, qui non præsumendi alienam sobolem propriæ anteponeere voluisse *l. 30. C. de fideic.* aut collaterales plus dilexisse, quam descendentes *arg. l. 3. §. 1. ff. d. leg. prest.* Unde & illud est, quod nepotes, licet separati, in bonis Avi & Avix horum fratribus & sororibus præferantur: *A. 23. T. 2. L. 2.* Quod si tamen constet, parentes liberos etiam respectu Uxoris & aliorum consanguineorum exclusos voluisse, nihil eos capere dicendum est. *Dn. Mev. ad A. 33. T. 2. L. 2. n. 140.*

LIV. Cæterum hæc dicta sint de liberis naturalibus & legitimis, item de Adoptivis durante adoptione *l. 5. C. d. suis & leg.* nec non de per subsequens matrimonium legitimatis §. 2. *Inst. d. her. ab intest.* quamvis in Feudis nec hos succedere
verius

verius sit. §. *Naturales*, 2. F. 26. Dn. Hahn. ad *Wes. d. his qui sunt sui. n. 2.* Per rescriptum legitimati aliis extantibus non succedunt *Nov. 89. c. 9. Vid. Gail. 2. O. 42. n. 5. & 8.* In reliquis alia de jure civili ratio est Naturalium, alia Spuriorum, alia eorum, qui ex damnato coitu prognati sunt. Illi enim, justis liberis & Uxore non extantibus, patri in sextantem hereditatis *Nov. 89. c. 12. §. 4* matri una cum justis §. 3. *Inst. ad SCt. Orfit.* Isti matri tantum, non patri succedunt *d. §. 3. & §. 12. Inst. d. Nupt.* Hi vero ab omni successione exclusi sunt, ut nec alimenta iis debeantur *Auth. Ex complexu C. d. Incest. nupt.* ne quidem Jure Canon. *c. 13. in f. extr. qui fil. sint legit. Add. Excell. Dn. Pres. Ex. Inst. 10. th. 2. Dn. Rittersh. Nov. p. 7. c. 5. 6. 7. 8.*

LV. Jus Lubecense, his distinctionibus sepositis, omnes promiscue liberos illegitimos *uneheliche Kinder*/quorum tamen nomine Legitimos non comprehendi docet *Magn. Dn. Mev. ad A. 9. T. 2. L. 2. n. 60.* à successione intestati excludit *d. A. 9.* Cujus ratio esse videtur, ut & hoc modo ab omni illicito concubitu deterreantur parentes, hoc afficiendi supplicio, ut extraneis potius, quam proprio sanguini suas concedere facultates necesse habeant, *arg. Nov. 74. c. fin.* qui & alias in liberorum personis pene magis, quam in propriis torquentur. §. *f. Inst. d. nox. act. l. 8. §. f. ff. quod met.* vel dicendum videtur, Statutum hoc, cum familiarum conservationi studeat, bona in illegitimos, qui dedecori potius, quam conservationi familiae nascuntur, nolle translata.

LVI. Illud in *d. A. 9.* notabile est, quod bona illegitimorum proximis cognatis addicuntur contra jura communia, ex quorum dispositione successorum jura mutua esse oportet *l. pen. pr. C. d. leg. hered. Dn. Rittersh. Nov. p. 7. c. 1. n. 11.* Cognati tamen isti proximi, facta ex jure civili interpretatione, intelligendi illi videntur, qui eo jure illegitimis succedere solent, v. g. spurio non pater, sed mater, & ex ea con-

D

juncti

juncti succedent: quod innuere videntur verba *d. A. 9. Blute-
freunde / die dazzu gehören*. Unde & ex damnato coitu proгна-
tis neque parentes, ne ex crimine lucrum capiant, neque co-
gnatos, quos non habere creduntur, sed fiscum succedere
verius putat *Magn. Dn. Mev. d. A. 9. n. pen.*

LVII. Hæc de primo ordine. Descendentes si defi-
ciant, Ascendentes proximos, turbato moralitatis ordine,
l. 15. ff. d. inoff. Test. miserationis ratio ad liberorum bona ad-
mittit *l. 7. §. 1. ff. unde lib.* cumque illis simul fratres & sorores
ab utroque latere defuncto conjuncti vocantur. *Nov. 118.
c. 2. pr.* Et quidem, si soli fuerint Ascendentes, & omnes ejus-
dem lineæ paternæ vel maternæ, in capita succedunt; si
diversæ lineæ atque disparis numeri, ex æquo hereditatem
dividunt, ut dimidiam paterni, dimidiam materni capiant
Nov. 118. c. 2. §. 1. Quod si concurrant cum fratribus, salva gra-
dus prærogativa, juxta personarum numerum fit divisio.
d. c. 2. §. 2. fratrumq; & sororum liberi, non nepotes, demor-
tuorum parentum personas repræsentant. *Nov. 127. c. 1.*

LVIII. Circa hunc ordinem plura immutat Lube-
cense jus. Ascendentes enim cum collateralibus nunquam
conjungit, sed aliquando illis postponit, aliquando præfert,
prout vel separatus vel non separatus defunctus fuerit. *A. 13.
T. 2. L. 2.* Ita defuncto sine liberis filio separato, primo vocan-
tur fratres & sorores unâ separati eorumque liberi, his defi-
cientibus fratres non separati, post eos demum eorumque
liberos ad parentes hereditas devolvitur. *A. 1. & 7. T. 2. L. 2.*
cum enim defunctus hic filius per separationem à bonis pa-
rentum exclusus sit, æquum est, parentes ad hereditatem
ejus vicissim non admitti ante illos, quorum hereditatem
defunctus superstes sperare potuisset: nec enim conqueri
possunt parentes, qui sua voluntate se filiumque invicem ex-
cluserunt. Pari ratione in successione liberorum à se *juxta*
A. 2.

A.2.3. & 5. T.2. L.2. diviforum parentes fratribus & eorum liberis postponuntur. A.6 d. T.2.

LIX. Quod si vero liberi demortui separati vel divisione à parentibus sejuncti non fuerint, conjunctio sive communio, quæ inter eos mansit, parentum successioni ante fratres & sorores locum facit, *d. A.1. A.6. & 13. T.2. L.2.* Cæterum dicta procedunt (1.) in fratribus germanis sive ab utroque parente junctis, illis enim qui ab uno tantum latere defuncto conjuncti sunt, indistincte parentes præferuntur *d. A.1. & 13.* (2.) in parentibus primi gradus, sive patre & matre, nam Avus & Avia ab omnibus fratribus sive conjunctis sive disjunctis, sive ab utroq; sive ab uno latere junctis, contra *Nov. 118. c. 2. pr.* simpliciter excluduntur. *A.1. & 17. T.2. L.2.*

LX. Ita scilicet succedunt Ascendentes legitimi & naturales: Legitimis tantum sive Adoptivis extraneis nil juris in adoptatorum bonis competit. *arg. §. 2. Inst. d. Adopt. ibiq; Bachov. l. 10. §. 1. C. eod. secus est in Adrogatoribus & adoptantibus Avis. d. §. 2. d. Adopt. & §. 2. Inst. d. Acq. per arrog.* Legitimorum parentes eodem in successione, quo liberi, jure uruntur. Illegitimorum quoque Ascendentium successio facilis est intellectu ex iis, quæ *supra th. 54. 55. 56. de Descendentium illegitimorum successione diximus.* Reciproca enim sive mutua successionum jura sunt: quodque juris in uno correlatorum, idem & in altero est. *arg. l. f. C. d. ind. vid. toll. Everhard. in Top. loc. 20. n. 8.*

LXI. Sequitur tertius Cognatorum Ordo, qui est Collateralium. Quod si enim defunctus neque Descendentes neq; Ascendentes reliquerit, proximi heredes sunt Fratres & Sorores, ex quibus germani sive bilateres cæteros ab uno latere ob duplex vinculum de jure civili merito excludunt. *Nov. 118. c. 3. pr.* (licet in Feudis consanguinei fratres cum germanis ad successionem admittantur. *c. un. 2. F. 11. Gail. 2.*

O. 157. Schultz. *syn. Inst. d. success. Transv. lit. S.*) & defuncto soli in capita, cum fratrum liberis in stirpes *d. c. 3. Nov. 118.* eorum liberi soli in capita succedunt §. 4. in *f. Inst. d. leg. Agn. succ. l. 2. §. 2. ff. d. suis & leg. Recess. imp. zu Speyer d. Anno 1529. Rubr. Kayf. Constit. wie Brüder und Schwester Kinder / & c. Excell. Dn. Pras. ad Auth. post fratres autem C. d. leg. hered. etiam in Feudis Rittersh. part. Feud. l. 1. c. 6. q. 9. & seq.* His deficientibus, fratres & sorores uni lateres & eorum liberi, eodem quo ceteri modo. *d. Nov. 118. c. 3. pr.* vocantur, nec facienda videtur ulla bonorum distinctio. *d. cap. 3. Ungep. Ex. 9. q. 7. Bachov. ad Tr. V. 2. D. 16. th. 5. C.*

LXII. Hunc quoque circa ordinem specialitate sua non caret Lubecense jus: in eo quidem conveniens est communi juri, quod consanguineis & uterinis germanos fratres anteponat *A. 1. T. 2. L. 2.* eodemque modo liberos germanorum, nisi pater eorum separatus fuerit & unilateres sint consortes, quo casu potior est conditio unilaterum. *A. 22. T. 2. L. 2.* Verum circa fratres unius generis sive germanos sive unilateres conjunctionis & disjunctionis ex more suo maxime rationem habet, atque conjunctorum hereditatem conjunctis, disjunctorum disjunctis tribuit. Sic mortuo fratri separato, qui consortes simul ac dissortes fratres & sorores post se reliquit, separati succedent exclusis consortibus *A. 7. T. 2. L. 2.* Defuncto vero consorti, sive non separato, consortes & eorum liberi, postpositis separatis, succedent *A. 3. T. 1. L. 2. A. 6. T. 2. L. 2.* Et quoad concursum consanguineorum & uterinorum expeditissimum hoc jure est, nulla bonorum facta distinctione, omnes simul in paternis maternisque succedere, cum generaliter cautum sit *A. 20. T. 2. L. 2.* heredes diversarum qualitarum hereditatem æqualiter in capita dividere debere.

LXIII. Hæc de fratribus legitime natis, item arrogatis
arg.

arg. l. 23. ff. d. Adopt. atque ab Ascendente adoptatis §. 2. Inst. d. Adopt. l. 10. §. 1. in f. C. eod. durante scilicet adoptione l. 13. ff. d. t. nec non per subsequens matrimonium legitimatis arg. §. 2. Inst. d. her. ab intest. Per rescriptum legitimati fratribus legitimis non succedunt arg. Nov. 74. c. 1. Nov. 89. c. 9. Naturales & spurii à matre conjuncti tam soli, quam cum legitimis concurrentes sibi invicem succedunt, germanique unilateres excludunt. Forst. d. succ. l. 8. c. 11. n. 4. à patre vero tantum conjuncti, cum nec agnationis nec cognitionis ullum inter eos intercedat jus §. pen. Inst. d. succ. cogn. nulla successione invicem fruuntur. Ex damnato tandem suscepti coitu nec alii nec sibi invicem succedunt. arg. Nov. 74. c. f. Nov. 89. c. ult. De his quid sentiant Lubecenses clarum est ex iis, quæ supra th. 55. & 56. deduximus.

LXIV. Post fratres tandem eorumque liberos reliquis cognatis proximis in infinitum *Nov. 118. c. 3. in f. succedendi locus fit, absque ullo sexus vel cognitionis discrimine d. Nov. c. 4. juxta gradus prærogativam, nulla vinculi unius sive duplicis, nec repræsentationis ratione habita, divisione in capita faciendâ. Auth. post fratres C. d. leg. her. Exceptio est in bonis damnatorum, ad quæ collaterales non admittuntur, nec Ascendentes ultra tertium gradum Nov. 134. cap. f. Deinde Feudale jus discrimen inter Agnatos & Cognatos adhuc attendit, atque illos solos, his exclusis, ad Feudi successionem admittit. c. un. 2. F. 11. Vid. Excell. Dn. Pras. ad Auth. Post fratres fratrumq. C. d. leg. her.*

LXV. Lubecenses in his communi juri nil derogarunt, nisi quod fratrum & sororum consanguinearum & uterinarum liberos patris, amicitis, avunculis & materteris germanis defuncti postpositos voluerint. *A. 18. & arg. A. 19. T. 2. L. 2. contra jura communia, quorum vigore fratrum & sororum unilaterum liberi, non secus ac fratres & sorores*

ipsi representationis jure dictos patruos, amitas, &c. excludunt. *Nov. 118. c. 3. inf. Auth Post frat. aut. C. d. leg. her.* Concordat hac in parte Statutum Saxonico juri, quod vinculi duplicitatem etiam ultra fratrum & sororum liberos attendens agnatos utrinque conjunctos iis, qui ab uno latere conjuncti sunt, semper præfert. *Schneidw. ad Inst. Tit. d. her. ab int. Rubr. d. tertio ordine. n. 35. Schultz. Syn. Inst. d. t. rubr. d. succ. transvers. lit. K.* Verum Lubecense jus ultra dictas personas id non extendit, quod inde patet, quia utrinque conjunctorum patruorum, amitarum, &c. liberi fratrum unius lateris liberos non excludunt. *A. 19. T. 2. L. 2.* In cæteris ergo non expressis juxta commune jus successio Lubecensium procedet.

LXVI. Proximis vero Cognatis cum successionem tribuit jus Lubecense, illis simul, nisi notorie proximi sint, proximitatis atque cognationis probationem. daß sie sich die Nächststen zeugen lassen imponit; uti patet ex *A. 9. T. 1. & A. 14. & 32. T. 2. L. 2.* neque enim præsumitur Consanguinitas, sed probanda est *l. 1. ff. d. probat.* Et vero mederi hac cautela voluit Statutum erroribus, quibus sæpe admittuntur, qui heredes non sunt, sæpe pariter succedunt, qui gradibus diversi sunt. Probatio autem illa non præcise Testes requirit, sed & per conjecturas, judicia & præsumptiones fieri potest. Cæterum ubi testibus perficienda est, juratum testimonium requiri, atq; ob probationis difficultatem ad testandum consanguinei quoque admittendi videntur, utpote qui melius cognatos suos nosse, adeoq; cæteris testibus veriores aptioresque censentur. *Magn. Dn. Mev. ad A. 32. T. 2. L. 2. n. 7. & seqq.*

LXVII. Quid si defunctus aliquem proximum heredem nominaverit, an satis probata censeretur proximitas? Negat id *A. 24. T. 2. L. 2.* ubi dicitur: Defuncti assertionem, hunc vel illum proximum esse heredem, qui tamen non est, exactam probationem non facere, nec præjudicare proximis

miscognatis, quo minus, probata proximitate, nominatum
excludere possint. Consanguinitas enim, quæ à natura est,
uti non pactis & assertionibus constituitur, ita nec iisdem
tollipotest: nec confessioni in articulo mortis constituti in
alterius præjudicium credendum est, uti docet *Magn. Dn.
M. v. ad d. A. 24.* Tempus probationis annus & dies est *A. 14.
¶ 2. L. 2.* Poena denique false testantibus non tantum, sed &
falsos producentibus testes arbitraria dicitur. *A. 32. T. 2. L. 2.*

EXVIII. Vidimus hucusque, qua ratione cognatio vel
sanguinis jus successionem tribuat: superest, ut dispiciamus
adhuc de aliis quibusdam civilibus causis. Et vero Affinita-
tis ratione nullam deferri hereditatem scriptum est *in l. 3. §
7. C. Commun. de succes.* Inter Virum tamen & Uxorem, qui
quidem ipsi non sunt Affines, nisi improprie loquendo,
præbent tamen aliis Affinitatis causam *l. 4. §. 3. ff. d. grad.* ob
arctissimam conjunctionem jus quoddam mutua succef-
sionis constitutum est. *Gudelin. de jur. novif. l. 2. c. 16. pr.* Prætor
namque, deficientibus omnibus cognatis, Conjuges excluso
fisco ad bonorum possessionem intra centesimum à tem-
pore scientiæ diem agnoscendam vocat. *l. un. ff. Unde Vir. &
Uxor. l. un. C. eod. modo* justum fuerit matrimonium, & ad
mortem usq; duraverit *l. un. ff. d. r.* nec intra luctus annum nu-
bendo Uxor successione se indignam reddiderit. *l. 1. §. 2.
C. d. secund. nupt. Vid. Kobl. d. succes. Conj. p. 1. n. 17. & seqq.*

EXIX. Sane hodie etiam liberis vel cognatis extanti-
bus Conjux conjugi succedit, si tres vel pauciores sint liberi,
in quartam; si plures, in virilem ususfructus partem, pro-
prietate totius penes liberos remanente: deficientibus libe-
ris, cum cognatis totidē in quartam vel virilem pleno jure.
Nov. 117. c. 5. Auth. Præterea C. Unde Vir. & Uxor. Sed id non
nisi uno procedit casu, scilicet, ubi sine dote vel donatione
propter nuptias fuit matrimonium, & præmortuus Conjux,
arbitrio

arbitrio Judicis, locuples, superstes pauper fuerit *d. Auth.*
neque enim concedendum est, superstitem conjugem in op-
probrium defuncti mendicare, & liberos totam auferre
hereditatem, quin potius expedit, paupertatem unius con-
jugis per alterius divitias sublevari. *Nov. 53. c. fin.* quæ ratio
facit, ut *Dd.* quoque id extendant ad casum, ubi dos quidem
vel donatio propter nuptias data est, sed tam exigua, ut
alēdo superstiti nō sufficiat. *Kohl. d. tr. part. post. n. 29. Rittersh.*
Nov. p. 7. c. 17. n. 8. Extra hos casus nulla, relictis cognatis, su-
perstiti debetur successio, sed à bonis intestati conjugis ex-
traneus est. *l. f. C. quor. bon.* plus enim naturali conjunctioni
quam ascititiæ tribui decens visum est. *Gudel. d. c. 16.*

LXX. Verum hanc succedendi rationem pacta ma-
trimonialia, quæ omnium primo inspicienda, & locorum
statuta nimium quantum sæpe variant. *Vid. Dn. Rittersh.*
Nov. p. 7. c. 18. per tot. & qui cumulum multorum & variorum
Statutorum exhibet, Magn. Dn. Mev. ad jus Lub. L. 2. T. 2. A. 12.
n. 12. Nostrum Lubecense jus arctissimum conjugale vincu-
lum considerans, quo una caro *Genes. 2. v. 24.* omnis ejusque
individua vitæ, divini & humani juris socii. *l. 1. ff. d. R. N. S. 1.*
Inst. d. patr. pot. omnis fortunæ & casuum participes. *l. 22. §. 7.*
ff. sol. matr. omnium rerum constante matrimonio quodam-
modo domini *l. 1. ff. d. act. rer. amot.* conjuges dicuntur, mul-
tum superstiti iuris, sive relictis, sive non relictis liberis &
cognatis, in defuncti bonis tribuit, maxime, cum & inter eos
societatem bonorum, licet anomalam quandam, introduce-
rit, *de cujus effectibus Vid. Dn. Mev. ad A. S. T. 5. L. 1.* unde regu-
lariter sine lucro superstitem coniugem non dimittit.

LXXI. Lucrum vero istud non semper uno eodemq;
se habet modo, sed pro diversis casibus aliud atque aliud est:
proinde hi casus probe distinguendi veniunt, an scilicet de-
functus coniux reliquerit liberos vel non; si reliquerit, an
separati

separati illi sint, an consortes, & tunc, an in viduitate persi-
stat, vel ad secunda vota transeat superstes. Si non relique-
rit, an cognati adsint vel non. De quibus ordine iam dispi-
ciemus.

LXXII. Decedente altero coniugum relictis liberis
nondum separatis, superstes, sive pater sive mater, quamdiu
in viduitate permanet, bonorum, quæ constante matrimo-
nio intercessit, communionem continuat, bleibet besizzen in
allen Gütern *A. 8. T. 2. L. 2.* eorumque adeo usumfructum per-
cipit: aliter ac civili jure obtinet, quo patri quidem potesta-
tis jure in maternis & adventitiis *§. 1. Inst. per quas pers. cuiq;*
l. 1. C. d. bon. mat. nunquam matri in paternis liberorum bonis
omnibus usumfructum concessum legimus. Videtur autem
ad hoc induxisse Statutum ipsa pietas & æquitas, quæ mœ-
stam viduam parte cordis orbâtam bonis mariti non pri-
vari, quin potius in solatium memoriamque amissi frui per-
mittit, quo habeat, unde honestius in viduitate vivere dolo-
remque obitu dilectissimi inflictum lenire queat. *Dn. Mev.*
ad d. A. n. 11. quinimo istud fidei ac amoris, quem in viduitate
permanens defuncto exhibet, justa videtur remuneratio.
Vid. Cothman. V. 3. Cons. 19. n. 37. & seqq.

LXXIII. Cæterum versari in his usufructuarios pa-
rentes ita oportet, ne quid res liberorum damni capiant, sed
integra omnia serventur: hinc prohibita est omnis aliena-
tio vel oppignoratio, nisi eam liberorum consensus appro-
bet, vel summa, corporis forte sustentandi, eaq; juramento
probanda necessitas exigat *d. A. 8.* Liberis tamen inde decora
sustentatio & alimenta, sumptus studiorum, adultisq; dos &
donatio propter nuptias, secundum dignitatem & facultates
defuncti parentis, debentur. *Gail. 2. O. 144. n. 1. in f.* Imo perfe-
ctam nacti ætatem liberi virilem ex parentis defuncti bonis
partem, præservata sibi successione in superstite, petere

E

pos-

possunt, quam denegare superstes parens non potest. *A. 11. T. 2. L. 2.* administrationem tamen interea & usumfructum ceterorum bonorum omnium retenturus, nec ullo modo ad dividendum cum liberis compellendus. *d. A. 8. & 11. ibiq. Dn. Mevius.*

LXXIV. Verum hæc obtinere diximus, quamdiu in viduitate permanet superstes: quod si enim ad secunda vota procedere, vel quod nuptiis æquiparat Statutum, monasterium vel hospitale ingredi cupiat, dividendi cum liberis necessitas ipsi imponitur *d. A. 8. A. 29. T. 2. L. 2.* jura namque, imo natura ipsa, cum de Vitricis atque Novercis non bene præsumant, quibus ab iterato nubentibus res non modo liberorū, sed & vita plerumq; addicitur. *l. 22. vers. servi C. d. admin. Tut.* perutile duxere Nomotheæ nostri, liberis certi alicujus præceptione prospici potius, quam ut illi incertum periculose eventum expectantes rebus suis defraudentur, cum verendum non raro sit, ne parentes novercalibus delinimentis & fucatis persuasionibus ab affectione abducti maligne circa liberos judicium inferant. *l. 4. ff. d. noff. Test.*

LXXV. Dividendi forma in his consistit, ut superstes, confecto prius omnium bonorum inventario, administrationis viduitatis tempore gestæ rationem (contra commune jus *l. 5. §. 2. C. d. bon. qua lib. l. 8. §. 4. in f. C. d. sec. nupt.*) consanguineis liberorum, vel, his deficientibus, Magistratui summo pupillorum Tutori reddat *A. 21. T. 2. L. 2.* post, præceptis præcipiendis (præcipit autem pater arma & optima vestimenta; Mater annulum pronubum den. Trau. King *A. 2. & 3. T. 2. L. 2.*) duæ omnium bonorum, tam præmortui quam superstitis, tam eorum, quæ, cum moreretur defunctus, aderant, quam quæ postea durante viduitate supervenerunt. *A. 10. T. 2. L. 2.* partes constituentur æquales, quarum alteram superstes parens, alteram liberi nondum separati capient. *d. A. 23. & 5.*

2.3. & 5. T.2. L.2. faciendâ tamen collatione eorum, quæ jam ante liberi præceperunt, veluti dotis, donationis propter nuptias, aliorumque conferri solitorum. *Vid. Dn. Mev. ad d. A.2 n.95.*

LXXVI. Cæterum dividendi hanc necessitatem evitare nonnunquam superstes parens potest. Quod si enim assignata liberis certa bonorum portione eos à se separare velit, divisionis petitionem excludet: sicuti enim alias provisionem legis provisio hominis tollit *l. pen. C. d. pact. conv.* ita & parentis legitima separatio statutariam divisionem antevertit. *Corhm. V.3. Conf. 45. n.69.* modo id liberorum, vel qui tutelam eorum gesturi sunt, bona fiat voluntate: invitis enim, ubi ad eum statum res devenerunt, ut ad dividendum obstrictus sit parens, obtrudi certa bonorum portio non potest *A.33. T.2. L.2.* Deinde vero pactis necessitas hæc varie remittitur. Ita frequens esse testatur *Magnif. Dn. Mev. d. A.2. n.183.* ut, si forte per varias negotiationes bona adeo sint dispersa & confusa, imo nonnunquam adeo incerta, ut salvo mercatu & cum spe certæ portionis habendæ dividi nequeant, pacta inter parentes binubos liberosque ineantur, quibus v. g. hoc agitur, ut liberi prioris matrimonii parentis prædefuncti bona præcipiant, vel superstiti administranda relinquunt, certam autem partem, virilem vel aliam, ex bonis superstitis sibi eligant, in quam, eo defuncto, cum posterioris matrimonii liberis succedant. *Plura pacta vid. d. l.*

LXXVII. Sed quid si neque divisione facta, neque separatis liberis, neque pactis interpositis superstes parens ad secunda vota transeat? Distinctione rem expedit *A.28. T.2. L.2.* an ex secundis nuptiis liberi procreentur, an secundus torus sterilis sit. Priori casu, siquidem præmoritur is conjux, qui ex posteriori tantum conjugio liberos habet, illud obtinet, quod in præcedentibus diximus, aut enim superstes

communione continuabit, aut liberos separabit, aut dividet. *A. 2. 3. 5. 8. 11. d. T. 2. L. 2.* deductis tamen ob divisionem bonis liberorum prioris matrimonii *Dn. Mev. ad d. A. 28. n. 3.* Præmoriens vero parente proles ex utroque conjugio susceptæ, soluto prius ex communibus bonis ære alieno *d. A. 28. & A. 26. T. 2. L. 2.* prioris matrimonii liberi parentis sui primo defuncti bona præcipient, superstes sua retinebit, atque communis parentis bona inter superstitem & liberos utriusque matrimonii in capita dividuntur. *d. A. 28.*

LXXVIII. Quod si vero liberi ex secundis nuptiis suscepti non sint, mortuo orbo sive eo, qui liberos non habet, superstes cum cognatis ejus dividet juxta *A. 12. T. 2. L. 2. Vid. 2b. 81.* hoc vero mortuo, orbus superstes sua, privigni parentis primo demortui bona præcipiet, & ex iis, quæ supersunt, dimidiam privigni, dimidiam superstes capiet. *d. A. 28. ubi omnino Vid. Dn. Mev.* Illa hic à jure communi exorbitantia notanda venit, quod superstiti Conjugi ex bonis defuncti plus, quam uni liberorum prioris matrimonii tribuitur, contra expressam Constit. Impp. *in l. o. pr. C. d. secund. nupt.*

LXXIX. Ad casum existentium liberorum pertinere quoque videtur, si prægnans relicta sit vidua. Qui enim in utero sunt, in toto pene jure intelliguntur in rerum natura esse, inquit Julianus *in l. pen. ff. d. stat. homin.* atque ubi de commodis eorum agitur, pro jam natis habentur. *l. 7. ff. d. t. hinc providam semper eorum curam Jurisprudentes habuere. l. 1. pr. ff. d. ventr. in poss.* De jure civili proximiores non tantum heredes sunt & remotiores excludunt *l. 1. §. 8. ff. Unde cognat.* sed & cum paribus gradu ad successionem vocantur, idque eo modo, ut tres paternæ hereditatis partes ventri asserventur, cum fieri possit, ut plures prodeant. *l. 3. ff. si pars hered. l. 23. §. f. ff. d. iudic.* Nostro Lubecensi jure vidua relicta prægnans in communibus bonis, usque dum peperit, relinquenda jubetur. *A. 30. T. 2. L. 2.*

LXXX.

LXXX. Haecenus de concursu superstitis Conjugum cum liberis consortibus, sive nondum separatis. Quod si decesserit alter conjugum nulla relicta prole consorte, (dissortes enim extraneorum heredum jure censei jam saepius diximus. *Vid. supr. thes. 53.*) superstes in bonis defuncti manet, donec ipsi de portione statutaria satisfactum fuerit: sicuti etiam de jure civili Viduae retentionis jus contra heredes Mariti competit ob quartam sive virilem, si inops sit. *Rittersh. ad Nov. part. 7. c. 17. n. 16.* item ob dotem coeteraq; illata. *Myns. Cent. 6. O. 45. & 82.* Heredibus tamen defuncti proximis permittit Lubecense jus, ut intra trigessimum diem domum defuncti, quam possidet superstes, ingrediatur, custodiae rerum hereditariarum, quae sibi debentur, incubituri, usque dum divisio peragenda est. *A. 27. T. 2. L. 2.*

LXXXI. Divisionis istius quod attinet modum, multum interest, uter Conjugum, Maritus, an Uxor superstes sit. Ille, retenta dimidia omnium ab Uxore illatorum, dimidiam heredibus Uxoris restituere jubetur. *A. 12. T. 2. L. 2.* Haec vero, praecipis illatis suis, quae supersunt cum mariti heredibus ex aequo dividit *d. A. 12.* Sub illatis autem comprehendimus, (1.) Dotem, in quantum non minuta est necessariis impensis. *l. 5. ff. de Impens. in res dot.* (2.) Paraphernalia *A. 5. T. 2. L. 2.* ea enim de jure Lubecensi perinde habentur ac dotalia *docente Magn. Dn. Mev. ad d. A. 12. n. 54.* (3.) Donata Uxori ab alio *A. 9. T. 1. L. 3.* *Vid. Kohl. ad Const. March. Von Erbfaellen zwischen Eheleuten. q. 7. n. 20.* & si Uxor superstes sit, donata a Marito *A. 5. T. 2. L. 2.* An & constante matrimonio acquisita, ita ut illorum dimidiam Uxoris heredibus Maritus restituere teneatur? *Aff. Cothm. V. 4. Cons. 24. & 25. Neg. Dn. Mev. ad d. A. 12. n. 93. & seqq. quem sequimur.*

LXXXII. Illam vero, de qua haecenus diximus, portionem superstes Conjugum non hereditatio, sed singulari jure,

ut statuti beneficium, atque lucrum & præmium amoris conjugalis capit. *Cothm. V. 2. Conf. 51. n. 120. & seqq.* unde actione personali à Creditoribus hereditariis conveniri non potest. *Vid. Dn. Mev. ad A. 12. T. 2. L. 2. n. 247.* nec jus accrescendi habet, si alius heres non adsit, vel si qui adest, repudiet. *Cothm. d. Conf. 51. n. 197.* Sed an & Sponsi hoc effectu Conjugum appellatione venient, ut mortuo altero superstes sponsus portionem statutariam capiat? *Neg. Magn. Dn. Mev. d. A. n. 265. sub tribus tamen limitationib. quas ibi vid. Kohl. d. success. Conjug. part. 2. n. 9. Consentit jus Saxonicum. Landr. L. 1. A. 45.*

LXXXIII. Illud hic non omittendum, quibusdam casibus superstiti Conjugum lucrum hoc à statuto non concedi. Ita mulier peregrina civi Lubecensi nupta, quando sine prole prædefuncto Marito rursus emigratura est, nihil amplius, quam in civitatem attulit, inde reportare jubetur. *A. 4. T. 2. L. 2.* idque vel favore mercaturæ, & augendis civium facultatibus, vel quo cives inter se potius, quam cum exteris matrimonia ineant, constitutum videtur: quamvis hoc moribus non ubique servari testis sit *Magnif. Dn. Mevius d. A. n. 9.* Deinde lucro hoc quoque privat Statutum superstitem Conjugem, qui, neglecto statuto, nullâ cum liberis divisione facta ad secundas nuptias procedit *A. 28. T. 2. L. 2. Coth. V. 3. Conf. 46. n. 30. & V. 4. Conf. 21. per tot.* Indignus enim est Statuti beneficio, qui statuto satisfacere neglexit, *arg. l. 37. in f. ff. d. Minor.* Plures, quibus hæc portio statutaria amittitur, vel minuitur, modos exhibet *Magn. Dn. Mev. A. 12. à n. 359. ad fin.* Quod si nulli omnino defuncti cognati adfuerint, superstes non secus, ac communi jure in omnia defuncti bona, excluso fisco, succedet, juxta ea, quæ *supr. thes. 68.* dicta sunt. *Vid. Dn. Mevius ad A. 14. Tit. 2. Lib. 2. num. 40. & seqq.*

LXXXIV.

LXXXIV. Postrematandem omnium in succedendo
Fisci causa est: nam nullo neq; ex sanguinis linea, neque
juris aliquo titulo herede extante, vel extante quidem, sed
repudiante, hereditas ut vacans fisco defertur *l. 1. C. d.
bon. vacant. l. un. §. 3. C. d. Caduc. toll.* qui non secus, ac alius qui-
vis heres, onera hereditaria sustinere cogitur: hinc fidei-
commissa & legata præstare. *l. 96. §. 1. l. 114. §. 2. d. Leg. 1.* atque
Creditoribus hereditariis satisfacere tenetur. *l. 2. C. ad L. Jul.
d. vi publ.* In eo tamen ab aliis heredibus fiscus differt, quod
intra quadriennium agnoscere bona teneatur, alias præscri-
ptione se possessor tuebitur. *l. 1. §. 2. ff. d. jur. fisci* deinde in eo,
quod licet Inventarium non fecerit, ultra vires tamen here-
ditatis non teneatur. *Vid. Sixtin. d. Regal. l. 2. c. 9. n. 46. & seqq.*
ubi plures differentias notat.

LXXXV. Fisci autem jus in occupandis bonis vacan-
tibus exercent hodie non tantum Imperator *l. 1. C. d. bon. va-
cant.* Reges, Principes ac Republicæ superiorem non reco-
gnoscentes, sed & aliæ inferiores, ac civitates municipales, si
id vel ex concessione superiorum, vel legitima præscrip-
tione & consuetudine nacti sint. Imò communis Dd. schola,
astipulante praxi, cuilibet civitati, quæ merum mixtumque
Imperium habet, bona vacantia addicit, *Gail. 2. O. 130. n. fin.
Sixtin. d. Regal. d. l. n. 60. Wes. ff. d. jur. fisci. n. 4.* Quod si vacan-
tia bona imobilia in diversis territoriis sita fuerint, à diver-
sis quoque Dominis occupabuntur, & quisque pro quanti-
tate bonorum acquisite onera hereditaria portabit.
Dn. Rivérsh. Nov. p. 7. c. 19. n. 4.

LXXXVI. Jure Lubecensi quando ignoratur, here-
dem quis reliquerit, nec ne, bona defuncti, facta solenni an-
notatione, Senatus custodiæ offerenda sunt, qui vel ex offi-
cio, vel ad instantiam Creditorum jacenti hereditati Cura-
torem constituet, convenienter *legi 8. ff. Quib. ex caus. in poss.*
Quod

Quod si elapso anno & die nullus appareat, qui sibi deberi hereditatem probet, hereditas (secus ac communi jure, quo aditioni & petitioni hereditatis non nisi 30. annis præscribitur *l. 7. C. d. hered. pet.*) vacans judicata Reip. applicatur. *A. 14. T. 2. L. 2.* Exiguo vero hoc tempore ut heres legitimus excludatur, scientia ejus omnino requiri videtur, à cujus tempore demum ista currit præscriptio. *Vid. Gail. 2. O. 105. n. 4. & seq.* Quocirca prævertendæ controversiæ causa utile erit, ante omnia affigi Proclamata, ut, qui sibi deberi hereditatem putant, intra certum terminum appareant, quo non facto, ad fiscum hereditas divolvetur. *Cothm. V. 1. Conf. 33. n. 19. Add. Magnif. Dn. Mev. ad d. A. 14.*

T A N T U M.



Præstantissimo Domino Scheffelio,
Amico dilectissimo.

Est aliquid Populi Romani noscere jura,
Quæ nulla in mundo nobiliora vigent.
Est aliquid, quæ constituit famosa Lubeca
Explorata acri jura tenere animo.
At longè plus est discrimina nosse utriusq;
juris, quæ argutâ cum brevitate doces.
Anguror hinc, Te jam maturum rebus agendis
Vt sibus adsciscet Publica Cura suis.

f. N. R.

GLORIA SIT TRIUNO!






Alsdorf, Diss., 1656/67

(x 261 3006)

VDM



24229.

2
19
/ 1660 7

Q. B. V.
SUCCESSIONEM LUBE-
CENSIVM

Sive
JURIS LUBECENSIS
CUM CIVILI ET CANONICO
COLLATIONEM
CIRCA SUCCESSIONIS TAM EX TESTAMENTO, QUAM
ab intestato materiam

JUVANTE DEO
P R Æ S I D E
VIRO
MAGNIFICO, NOBILISSIMO, AMPLIS-
SIMO AC CONSULTISSIMO
DN. WILHELMO LUDWELLO
JCTO, ANTECESSORE IN FLORENTIS-
SIMA ALTDORPHINA PRIMARIO,
FACULTATIS SUE HODIE

DECANO
SERENISSIMI PRINCIPIS PALATINI
Et
REIP. NORICÆ CONSILIARIO GRAVISSIMO
DN. PATRONO AC PRÆCEPTORE SVO PARENTIS
instar ætatem colendo
Publicè
disputandam proponit

ANTONIUS Scheffel / Wismar.
Ad diem 18. Augusti.

ALTDORFFI,
LITERIS GEORGI HAGEN, Universitatis Typographi.
M. DC. LX.

